



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Aliud Antipharmacum ex Lutherio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40295

nem in manum porrigi, ut olim fiebat, sed attollipanem quasi
venerandum: postea adhibita est genuflexio, & buccellam in os
ingerere maluerunt, reuerentie nimirum caussa. Atqui hoc pri-
mum fuisse horrendae illius artolatriæ initium, quæ ne nūc qui-
dem aboleri potest, quis tandem non videt?

Antipharmacum.

In conuenticulo Caluiniano Londinensi cap. 23. sta-
tuitur, ut qui cœnam sumunt, id faciant in genua reueren-
ter, ut par est, inclinati iuxta ritum in libro publicæ Liturgiæ
ea in parte præstitutum. In eadem pseudosynodo cap. 27.
Ministri, cum cœnam Domini administrant, neminem scien-
ter eiusdem facient participem, qui in genua non fuerit incli-
natus, sub pœna suspensionis.

Aliud Antipharmacum ex Luthero.

Lutherus in Colloq. sympos. tit. de sacramento Alta-
ris. Quidam interrogabat, an sacramentum honore affi-
ciendum esset? Respondit Lutherus, quando ad altare sa-
cramentum sumo, tum flecto genua mea in signum honoris &
reuerentie: sed in lecto; iacens illud sumo.

Idem in cap. 47. Genes. Sicut nos non tantum orantes,
sed & baptizantes, absoluentes, & absoluti, & accedentes ad
sacram synaxin, quin etiam ad recitationem promissionum, aut
textus Euangeli, genua flectere, vel saltem stare debemus in
signum adorationis siue reuerentie & gratitudinis, &c. Sic bo-
num est, quod sacramentum altaris colitur inflexis genibus, quia
ibi est verum corpus & sanguis Domini.

Quæritur XLII. generatim, Vtrum sacramentum
altaris sit colendum & adorandum. Respondet Beza
quæst. 243. In ipsa panis sumptione adoratio, quam sit pericu-
losa, utpote, quæ artolatriæ occasione aperuerit, res ipsa demon-
strat.

Strat. Honestam igitur hic reuerentiam in Deum directam sufficere recte sapientes (id est, Caluinus cum suis) iudicarunt.

*Antipharmacum ex Luthero
in cap. 47. Genes.*

*E T S I in cœna Domini nihil porrigeretur, preter panem & vinum; sicut Sacramentaryj blasphemant; tamen est ibi promissio & vox diuina, & Spiritus sanctus per verbum operatur in cœna, ideoque decebat nos cum reuerentia accedere. Quanto vero magis id fieri par est, quando credimus adesse verum corpus & verum sanguinem cum verbo? Idem alibi saepè docet Lutherus. In Epistola quadam ad amicum de adoratione Sacramenti Tom. 2. Ien. Germ. adorationem Sacramenti pro re adiaphora habet. Sic enim scribit: *Exterior adoratio, qua sit ore & genuflexione, nihil est. Fides est vera adoratio, cum credo, ibi esse Christi carnem & sanguinem, pro me traditum & fusum. Hoc sufficit, Reliqua omnia sunt indifferentia.**

Alicubi Lutherus Sacramento omnem cultum ac venerationem detraxit, (vt & hodie sit à nonnullis Lutheranis) & Caluinistis ad suam impietatem viam struit, nam ideo eleuationem sustulit, vt simul Sacramenti adorationem tolleret; neque ullam aliam eius tollendæ caussam habuit, vt fatetur ipse met in Colloq. Sympos. tit. de *Sacramento Altaris*. Vbi rursus moneo, mirandum non esse, si Proteus Islebicus in varias formas se transformauit, quia hæc est Protei natura, cui antidotū ex Beza apponemus; qui in *Apologia ad Acta Conuentus Torgensis* aperte scribit; adorationem Sacramenti necessario sequi ex *Consubstantiatione* hoc est, ex reali præsentia corporis & sanguinis Christi, sub, in & cum pane &

O 2 vino.